

1571 diremptæ; agitatumque inter classis imperatores de Naupacto; vel Neopatra, in eo victoriæ cursu invadendis. Sed cum ob eos, qui in prælio defuncti, ac vulnerati fuerant, quinque tantum milia pugnae idonei recenserentur, oppidorumque munitione ac situ, longiori opere expeditio indigeret, ne comparatæ victoriæ laus difficili rei exitu aliqua in parte minueretur, est prætermissa.

*Offredus
Justinianus
victoriæ
nuntius
Venetias
mittitur.*

Sebastianus Venerius, qui exoptatum nuntium afferret, Offredum Justinianum citatissimo cursu Venetias contendere jubet. Is, decem dierum spatio itinere confecto, xv. kal. novembris divi Nicolai portum ingressus, adventuque trina ex tormenti excussione significato, mox in fori conspectum se dedit, quo tempore ex universa civitate majori conventu frequentius esse solet. Exuviis hostium induti plerique, excelsoque, in metam Turcarum more assurgente, pileo capita tecti, insuetam speciem prospectantibus, atque hæsitantibus præbuere. Inde, propius sese inferente triremi, cum hostilibus signis ac vexillis undas converri esset animadversum, & inclamantium ingeminantiumque summis vocibus victoriæ nomen, atque in lætitiæ signum tormentorum fragor exauditus, repercussa e foro victoriæ vox momento ad aulam Principis delata, per universam statim civitatem intonuit. Undique in forum confluitur; relictis ædibus, cuncti se in vias effundunt, obvios quosque sciscitantur, incredibili gaudio exultantes in amplexus, ignotorum etiam, ruunt. Repente tota urbs æris campani strepitu personuit. Illico Princeps cum Collegii Patribus inter confertam fori multitudinem basilicam auream adit; in preces, ac vota effusi in genua procumbentes ex imo pectore, ac sensibus Deo Optimo Maximo ac Cælitibus gratias agunt; divorum Ambrosii & Augustini hymnum sacerdotes, quo divinæ laudes celebrantur, concinunt; missarumque solemniter ritu sacra celebrantur. Postera die, civibus, qui in prælio occubuerant, iusta, universo adstante Senatu, persoluta sunt. Illorum laudes atque egregia pro patria gesta Joannes Baptista Rasarius, elegantis ingenii vir, qui publice græcas literas profitebatur, luculenta oratione extulit. Nemo fuit, qui ob amissos parentes, fratres, filios, propinquos, cognatos, ullum mœstitiæ signum publice daret. Non atratæ vestes, non detracta, ut in quotidianis funeribus solet, ædium

*Venetorum
ob victoriæ
nuntium
lætitia.*

*Venetorum
pietas &
religio.*

*Ioannis
Baptista
Rasarii de-
functorum
in prælio
encomium.*